



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Frid. Adolphi Lampe S. S. Theol. Doct. Ej. Et Hist. Eccl.
Professoris Ordinarii, Delineatio Theologiae Activae**

Lampe, Friedrich Adolph

Herbornæ Nassaviorvm, 1728

Capvt XIII. De Arte Bene moriendi, seu officiis, quae Praeparatio ad piam
mortem involvit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-28501

(4) *Humilitas & Humanitas*, per quam gravitas senilium rugarum temperari debet.

(5) *Meditatio mortis* exemplo Isaaci Gen. xxvii. -
2. ejusque *desiderium* præeunte Simeone Luc. ii.
29. 30.

XI. Incitamenta ad has virtutes sunt :

(1) Brevissimum temporis, quod superest, spatium bene collocandum.

(2) Quoniam incommoda Senectutis singularem solaminis cœlestis modulum requirunt, qui ab illis solum sperari potest, qui fideliter Deo in omnibus ingravescentis ætatis molestiis adhærere pergunt.

(3) In hanc rem Scriptura commendat exempla Sanctorum, qui senectutem attigerunt, Zachariæ & Elisabethæ, & Hannæ Luc. i. 6.
21. 37.

(4) Talis Senectus in magno pretio est apud Deum Prov. xvi. 31.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Arte Bene moriendi, seu officii, quæ Præparatio ad piam mortem involvit.

SUMMARIUM.

Post generalem divisionem materia §. i. agitur

I. DE MORTE ORDINARIA 2 --- 19.
D d que

qua requirit triplicem PRÆPARATIONEM.

A. Remotior 2---8. est

1. Generalior omnia officia pietatis comprehendens 2.
2. Specialior 3---8. involvens
 - a. Officia interna 3---7. qua sunt
 - α. Meditatio novissimorum 3.
 - β. Elevatio mentis a terra ad caelum 4.
 - γ. Desiderium futuræ gloriæ 5. 6.
 - δ. Vigilantia in ejus expectatione 7.
 - b. Officia externa circa dispositionem domus 8.

B. Propinquior 9---18.

1. Supponens conversionem 9.
2. Involvens 10---18.
 - a. Scrutinium sui ipsius 10---12.
 - b. Pœnitentiam sinceram 13. 14.
 - c. Fidei exercitium 15---18. quatenus
 - α. Confortanda 16.
 - β. Actibus quibusdam demonstranda 17. 18.
 - ℵ. Respectu Dei 17.
 - Ξ. Respectu Proximi 18.

C. Proxima per commendationem animæ in manus Domini 19.

II. DE MORTE EXTRAORDINARIA 20---32. qualis est

A. In quibuscunque judiciis 21.

B. In judiciis humanis 22---32.

1. Propter maleficia 22---24.

a. Sive

a. *Sive* injuste infligantur 23.b. *Sive* juste 24.2. *Propter* veritatem per MARTYRIUM25—32. *cujus* exhibetur

a. Definitio 25.

b. Dēductio 26—32.

α. *Quoad* personas, quibus hic honor
competit 26. 27.β. *Quoad* officia praeſtanda 28—32.N. *Fons* eorum indicatur 28.D. *Officia* ipsa enumerantur 29—31.
que observandaa. *In* praeſparatione 29.b. *In* ipsa perſeſſione 30. 31.J. *Necessitas* eorum urgetur 32.

I.

Cum *ſinis* coronet opus, actuositati vitae Chriſtianae, cujus varios gradus ac viciffitudines recenſuimus, per officia circa *terminum* ejus, quem MORS ponit, colophonem imponemus. Dicuntur illa generali nomine PRÆPARATIO AD MORTEM, ſive illa ſit *ordinaria*, ſive *extraordinaria*. *Præparationis*, quam MORS ORDINARIA requirit, diverſi gradus ſunt. Hinc diſtinguimus inter *remotam*, *propinquam* & *proximam*.

II. *Præparatio* remota ſe per totam vitam extendit, ſecundum illud *Platonis* ab *Hieronymo* Epist. ad Heliod. impenſe laudatum: *Omnis ſapientum vita eſt meditatio mortis*. Sic *Jobus* inſtituit Cap. XIV. 14. Sic ipſa *Converſio*, omnesque actus Fi-

dei & Pietatis, quibus Spes Salutis promoveretur, huc spectat. Nam

(1) Per singula momenta, per singulos gressus Morti propinquiores evadimus.

(2) Nihil magis in ipsa Mortis hora conscientiam tranquillare, ac spem beati transitus conciliare potest, quam testimonium de vita in timore Dei acta Apoc. XIV. 13. Hinc *Augustinus* de Civ. Dei libr. I. c. 11. *Non potest male mori, qui bene vixit, & vix bene mori, qui male vixit.*

III. Sunt tamen & officia quædam *specialiora*, quæ magis directe ad mortem præparant. Ante omnia huc spectat *Meditatio frequens de mortuissimis.*

(1) De *morte* ipsa, quæ tanti est momenti, ut ad illam divinum auxilium impleretur Pl. XXXIX. §. XC. 12.

(2) De *judicio*, quod ipsis fidelibus ad sanctum timorem illis incutiendum ob oculos jugiter versari debet 2. Cor. V. 9. 10. 2. Petr. III. 11. 12.

(3) De *æternitate*, præcipue *felici* beatorum in cælo transigenda 2. Cor. IV. 17. 18. Sed & *æternitas damnationis*, licet fideles ab ea liberati sint, utilis est ad studium sanctæ præparationis acuendum.

IV: Convenienter huic Meditationi agunt, qui hinc magis magisque *se exsolvant cura rerum mundanarum*, inde autem *desiderio ac sectatione rerum cælestium* occupantur. Duo hæc semper sibi invicem innexa sunt, quia quantum a terra receditur, tantum ad cælum appropinquatur. Utrumque præscribitur Col. III. 1. 2. & in exemplo Pauli conjunctum est Phil. III. 13. 14.

Hinc

Hinc fideles considerantur ut *peregrini* in hac terra 1. Chron. xxx. 15. Pl. cxix. 19. Ab altera parte sunt *cives in caelo* Phil. 111. 10. Utrumque conjunctum erat in Patriarchis Hebr. xi. 13-16.

V. Speciatim *desiderium futurae vite* est actuositas ex fide sincera & spe viva necessario oriens, & fidelibus novi Testamenti, quibus vita longæva in hac vita producenda non est promissa, apprime conveniens Rom. viii. 23. 2. Cor. v. 2. Limitatio tantum duplex requiritur.

(1) Quoad fideles *in genere*, ut etiam in jucundissimo futuræ beatitudinis prægustu se ipsos tamen cum patientia termino certaminis, quem Deus secundum beneplacitum suum posuit, submittant Rom. viii. 25.

(2) Quoad illos *in specie*, qui norunt, quod Deus ipsorum opera ad gloriam suam in terris promovendam velit uti. Casus hic est rarissimus & in Paulo conspicitur Phil. 1. 21-25.

VI. Quamvis ergo *timor mortis* in imbecillioribus excusari debeat, non tamen potest omni ex parte *justificari*. Circumstantias mortis natura potest metuere, sed *mortem ipsam timere*, recte judicante *Ambrosio* Epist. Lib. v. *non est perfectionis*. Quare male applicant dicta Scripturæ, qui ex Matth. xxvi 37. Hebr. v. 7. Christum mortem metuisse probare volunt. Qui ergo hac imbecillitate laborant, causas cur mortem timeant indagare, atque operam impendere debent, ut illæ tollantur.

VII. Ante omnia requiritur perpetua *Vigilantia*, propter terminum vitæ incertissimum, unde

unaquæque vitæ dies pro ultima reputanda, & non solum spes vitæ ulterius producendæ exuenda, sed etiam ab omni negotio abstinendum est, in quo nollemus, ut Dominus adveniens nos deprehenderet Prov. xxvii. 1. Jac. iv. 14-15. Marc. xiii. 37. 1. Theff. v. 6.

VIII. Pars hujus vigilantia peculiaris est *procuratio domus suæ* ac tempeſtiva de rebus hujus mundi ad nos ſpectantibus *diſpoſitio*, præcipue quando inde & propriae conſcientiæ tranquillatio, & noſtrorum, quos hic relicturi ſumus, quies atque ſalus dependet Jeſ. xxxviii. 1. Ex hoc principio fluit *Teſtamenti* conſignatio, quæ licet non fluat ex Jure naturæ *abſoluto*, ex *hypothetico* tamen, propter peccatum atque inde natam conditionis humanæ inæqualitatem, nec non Legum civilium defectum, ſalutaris & aliquando neceſſaria eſt, præeuntibus ſanctis Abrahamo Gen. xxv. 5. 6. Jacobo Gen. xlviii. 5. 6. Ut autem *Teſtamenta* huic ſcopo conveniant, per ſe liquet, quod non privati affectus, & minime omnium *vindicta*, ſed *æquitatis* ratio unice in illis habenda ſit.

IX. Ad *propinquiorem Præparationem* vocantur, qui tales circumſtantias adesse ſentiunt, quæ cum periculo mortis ſunt conjunctæ, quales ſunt aut communes in *morbis* periculosis, aut peculiare, in *acie*, in *tempeſtate*, in imminente *naufragio* &c. Infelices, qui tum adhuc ſunt inconverſi, ac propterea, aut *falfa ſpe* ſe ipſos decipere pergunt, aut duplici terrori *mortis temporalis* & *eternæ* ſimul exponuntur. *Converſio* eorum, quamvis a parte Dei poſſibilis ſit, ferme tamen

tamen inter illas *extraordinarias* est reputanda, quarum *Lib. II. cap. I. §. 3.* mentio est injecta. Nihil tamen intentatum ut relinquatur, & quicquid ex præscriptis eodem Capite Officiis præstare possunt per temporis incommodissimi circumstantias, festinanter ardentemque observare tentent, per amorem propriæ salutis & impendentis æternitatis pondus obligantur.

X. Id jam supponentes, regnitum deducere ad ipsam mortem hic adnitimur. Cum autem ille variis sæpenumero obseptus sit tenebris fluctuationum, omnisque in ipsa morte fiducia dependeat a persuasione de Statu communionis cum Deo, ante omnia maturum requiritur Scrutinium tam de *fundamento Spei*, quam de *presenti animæ Statu*.

XI. *Fundamentum Spei* suæ denuo *pervestigare* omnes in mortis confinio fas est, ut etiam magis confortati in Fide eo certius cognoscant, quod in arena non ædificaverint. Potissimum tamen id requiritur ab *ὀλιγοπισοις*, ne *fluctuationes*, quibus toties jactati sunt in præcedenti vitæ cursu, in ultimo mortis certamine fidem debilitare pergant. Ea fini compendiose pro temporis viriumque ratione se explorent:

(1) Annon jam antea extra timorem mortis positi solliciti de Gratia Dei fuerint, ita ut totius mundi bonis lubentissime carere voluerint, si ejus duntaxat experientiam evidentiorē nacti fuissent?

(2) Annon odio peccati eousque impleti fuerint, ut non solum in occulto sæpe propter peccata sua se humiliaverint, sed etiam

nulli peccato amplius cum voluptate fuerint dediti ?

(3) Annon id eos maxime afflixerit, quod tam inepti ad gloriam Dei promovendam fuerint, & media illa dilexerint medullitus, per quæ sperare poterant, se aptiores ad gloriam Dei reditum iri ?

XII. Quemadmodum illi, qui hæc in se deprehendunt, de efficaci sua Regeneratione dubitare nequeunt, ita iis porro *inquirendum*, an digne tanta Gratia ambulaverint ? quosve progressus, si diu in illa versati fuere, præsertim proximis temporibus senserint ?

XIII. Scrutinium hoc semper ad *Humiliationem* instigabit. Non desunt, qui testimonium bonæ conscientiae de sinceritate propositi sui in seipsis deprehendunt cum Hiskia *Jes. xxxviii. 3.* Nihilominus variorum quoque navorum subibit *memoria*, per quam impellimur ad *justificationem* Dei, qui in periculoso illo corporis statu nos constituit, & ad *Pœnitentiam* sinceram coram Deo agendam. Sunt etiam quidam *morbi*, aut alia *pericula*, quæ nostra culpa nobis consciscimus, atque eapropter specialiolem contritionem propter illa peccata requirunt, quæ tanquam causæ proximæ illorum dolorum, malorumve, quæ premunt, spectari debent.

XIV. Aliquando peculiaria quædam *Pœnitentia* signa sunt edenda.

(1) Si forte *scandalum* quibusdam exhibuimus improvidis factis, ingenua *Confessione* ac *Deprecatione* noxæ illatæ illud imminuendum est.

(2) Si

tas Hebr. II. 15. sed etiam exemplum perfectissimum sanctæ ac beatæ mortis exhibitum est.

(4) Additur interdum *usus Sacræ Synaxeos*, qui in morbis præsertim chronicis juxta veteris Ecclesiæ praxin *Clinicis*, si superstitionis absit, non simpliciter negari posse videtur.

XVII. *Fides* per hæc media confortata, etiam desidentibus corporis viribus, actiuosa esse perget:

(1) *Precibus* ardentibus, & quo magis mors appropinquat, eo efficacius Domino, etiam quando debilitas naturæ verborum nexum longiorem non amplius permittit, vel per *suspiria* adhaerentibus Luc. XXI. 44.

(2) *Patientia*, quæ voluntati divinæ quoad omnia se submittit, non solum quoad mortem ipsam, sed etiam quoad morborum incommoda, mortisque genus & circumstantias, exemplo Eli I. Sam. III. 18. & magis ipsius Domini Matth. XXVI. 39. 42.

(3) *Spe viva*, quæ in ipsa morte non destituit fideles Job. XIII. 15. Psalm. CXIII. 4. XXV. 1.

(4) *Desiderio* liberationis ex corpore illo mortis 2. Corinth. V. 1. 2. Phil. I. 23. Apoc. XXI. 20.

XVIII. Sed & aliis sæpiusculè pii, ubi vires & opportunitas adsunt, appropinquantes morti Fidei suæ indicia exhibere studebunt.

(1) *Testimonium* dando tum Gratia Dei & veritati salutari, quam Evangelium revelat, in genere, tum experientia, quam de ejus efficacia habuerunt atque etiamnum sentiunt. Hinc p[ro]p[ter]

Veteres

Veteres a moribundis haud raro *confessionem fidei* flagitarunt.

(2) *Præcepta salubria* suis præscribendo, ad exemplum Davidis 1. Reg. 11. 1--3. Præcipue id requiritur, quoad illos ex *liberis, propinquis, amicis*, qui in via carnis adhuc ambulant.

(3) *Benedicendo* suis exemplo Patriarcharum, ipsiusque Christi, saltem per vota ac preces pro eorum salute fufas.

(4) *Beneficentia* erga pauperes, in quam rem tamen non admodum congrua sunt loca Tob. xi 1. 9. Dan. 1v. 24. Luc. xvi. 9. Turpissima sane meriti præsumptio in morientibus de eleemosynis esset, quas faciunt. Et quas Restitutio eorum, quæ male parta sunt, aut de quorum justo titulo morituri dubitare possunt, requirit, illæ eleemosynarum nomen non merentur. *1 Peo 24. 19.*

XIX. *Proxima preparatio* est illa, quæ in ipso articulo mortis, sive hæc præcedente morbo sit expectata, sive subito adveniat, requiritur. Hic momentorum brevitatis consilium respuit, ejusque defectum ipse Spiritus sanctus in morientibus fidelibus efficaciter necessaria præstans abunde supplet. Punctum istud appropinquare videntes Jesus Patri, Stephanus Domino Jesu suspirantes animam suam *commendarunt* Luc. xxiii. 46. Act. vii. 58. *43. 6. 1 Peo 24. 19.*

XX. MORS EXTRAORDINARIA est *violenta*, quo referimus non tam, qui in functione vitæ suæ ordinaria obeunt, uti *militēs* in acie, *nauta* in naufragio, quam, qui per *judicia* quædam seu *divinitus* immissa, seu *humana* tolluntur.

XXI.

XXI. Quibus facultas adest talibus *Judiciis* se subducendi, quique per certas circumstantias non obligantur ad perseverandum in illo loco, ubi majori periculo, etiam præsentissimo, sunt expositi, illi *fuga* sibi consulere possunt, ad conservandam tamdiu vitam suam, quamdiu providentia divina ejus usum permittit Matth. x. 23. Et confirmant id exempla filiorum Prophetarum in speluncis latitantium; nec non fidelium Act. vi. 1. ipsiusque Pauli *Damasco fugientis*. Plus tamen hic permittum est personis *privatis*, quam *publicis*; plus in *judiciis humanis*, quam *divinis*; plus in *caussa bona*, quam *mala*. *Jer. 31.9*

XXII. *Judicia humana* cum mortem infligant vel propter *maleficia*, vel in *persecutionibus* propter veritatis confessionem, ratione prioris casus observamus, illum ipsis electis & fidelibus evenire posse, non solum quando *injuste*, sed etiam quando *juste* capitali supplicio tolluntur.

XXIII. Qui *injuste* vel *Judicis* vel *Testium* culpa mortem oppetunt, posteaquam frustra omnia licita media ad innocentiam suam ostendendam adhibuerunt, non solum providentiæ divinæ se permittere, sed etiam injustis oppressoribus ex animo remittere debent.

XXIV. In *supplicium* quoque *justum* possibile est, ut pii incidant, sive quando delicta ipsa pœnam in foro soli promerentia ante conversionem sunt perpetrata, sive quia concurrentibus quibusdam circumstantiis ex præjudiciorum fascino aut affectuum intemperie lapsus eorum in crimina suppliciiis corporalibus pianda contingere potest. Posterior casus majorem requirit humilia-

liationem, quam prior. In utroque præter officia ad mortem generaliter præparantia singularis lucta requiritur per *preces* & animi in Domino confortationem, ne nimium per *infamiam dolorum*, & metum, aliasque externas circumstantias vis mentis præpediatur. Maximi præterea momenti est, ut scandalum quod per crimen commissum est editum, exemplari quadam fidei veræque conversionis contestatione publice deleatur.

XXV. Gloriosius reliquis omnibus mortis genus est, quod tempore persecutionis per MARTYRIUM subitur, quando nempe *fideles Christi servi extraordinaria quadam virtutis & gratiæ divinæ mensura impleti, ex sincero pro causa Dei zelo propter testimonium veritatis salutaris, carceri, cruciatibus, morti ipsi se exponunt, eamque constanter subeunt.*

XXVI. Inter *Martyres* ergo adscribendi sunt illi tantum, qui pro veritate salutari, cujus fundamentum Christus est, patiuntur, adeoque *propter Jesum 2. Cor. IV. 11. propter justitiam Matth. V. 10. ob testimonium Jesu & ob sermonem Dei Apoc. XX. 4.* Secundum hanc regulam inter *veros falsosque Martyres* discriminandum est. *Falsorum* duo genera notanda sunt.

(1) Plane excluduntur, qui non solum propter scelera ac seditiosos tumultus, uti Athei ac blasphemæ, multique ex Enthusiasticis, sed etiam *propter mendacium* patiuntur, quod non est constantiæ, sed *pertinaciæ*. Adde eos, qui in bello quamvis justo & vel religionis causa suscepto mortem appetunt.

(2) Falso sibi eundem honorem appropriant
Pseu-

Pseuochristiani, qui licet *veritatem* profiteantur, non tamen per ejus amorem ad patiendum pro illa inducuntur, sed aut per residuum conscientiae dictamen, aut ut opprobrium eorum, quibus cum communibus sacris utuntur, declinent, aut vanum honorem apud homines sectantes.

XXVII. *Verorum martyrum* tres classes constituis.

(1) In *latiori sensu* huc referuntur infantes, nec non *rudes & simplices*, quos inter tamen esse possunt, in quos illud Martyris cujusdam idiotæ quadrat: *Non possum pro fide disputare, possum pro ea mori.*

(2) Illi quoque huc pertinent, quos veteres *Confessores* nominabant, passionibus variis propter nomen Christi excruciatos, morti tamen ipsi ereptos, quales *Danielis Socii* fuerunt.

(3) Qui mortem actu pro veritate oppetiverunt.

XXVIII. Hunc modum Deum glorificandi singulari gratiæ modulo indigere certum est. Ab illius providentia directio passionum pro nomine ejus unice dependet. Unde non nisi *secundum voluntatem ejus* patiuntur 1. Petr. iv. 19. Per ejusdem fidelitatem robur necessarium adipiscentur Phil. i. 29. Interea singularia officia, tum circa *præparationem* ad martyrium, tum circa ejus *passionem* observari debent.

XXIX. *Præparatio* ante omnia prærequirit

(1) *Vocationem divinam* 1. Petr. ii. 21. Hebr. xii. 1. Act. ix. 16. Hanc qui non exspectat, sive se ipsum absque necessitate præsentissimo pericu-

riculo exponat, sive ultro se persecutionibus offerat, Deum tentat.

(2) Interea quando ingruere videmus persecutiones, mature de illis mediis cogitandum, quibus adhibitis victoriam in hoc agone sperare possumus.

(a) Talis est præcipue fides Hebr. xi. 36.
--39.

(b) Conjungi debet *abnegatio sui ipsius* & commodorum hujus vitæ Matth. xvi. 24. 25.

(c) Exercitatio in certaminibus minoris momenti Hebr. xi. 4.

(3) Ubi autem præsto sunt occasiones, in quibus provocamur ad certamen, promptitudo ad illud subeundum debet adesse Gal. i. 16. Act. xxi. 13.

XXX. Sub ipsa passione *internum* animi robur cum *externo* ejus indicio conjunctum esse debet. *Internum* robur Spiritum sanctum tum maxime suppeditare dubitari nequit, cujus tanta sæpe est efficacia, ut præ gaudio interiori externos cruciatum Martyres sentire non videantur. Ut autem tranquillitas & constantia animi acquitatur exuendus potissimum erit intempestivus *hominum metus* Matth. x. 28. & consolationibus capite sequenti recensendis cor erit fulciendum.

XXXI. *Externa* fidei & constantiæ signa sunt

(1) Intrepida veritatis confessio Matth. x. 32. 33.

(2) Latitia externis signis, ac sigillatim hymnorum cantu declarata Act. v. 41.

(3) Aliorum ad zelum pietatis, prout circumstantiæ permittunt, incitatio.

(4) Per-

(4) Perseverantia ad mortem usque Apoc. 11. 10.

XXXII. Quatuorvis autem diversimode Gratia in diversis hic operetur, certum tamen est, quod unusquisque vere Christianus *Martyrio* se subducere non debeat, uti *Hellesaitas*, aliosque hæreticos, docuisse traditur. Nam

(1) Exerte a Servatore nostro hoc officium injungitur Matth. xvi. 25.

(2) Æquissimum hoc præceptum reddit non solum generatim *Amor*, qui debetur *Deo*, omnibus creaturis, etiam propriæ vitæ causam ejus præferendo, sed etiam speciatiim *gratitudo*, qua obstricti sumus Domino, qui ipse vitam suam pro ovibus suis posuit.

(3) Idem postulat *Amor Proximi*, cujus salus per *Martyrium* promovetur. Nam fideles per constantiam Martyrum in fide confirmantur 2. Cor. xii. 15. Infideles per eandem convincuntur & sæpe convertuntur. *Sanguis Martyrum est semen Ecclesie*. Sic per talem *mortem Deus glorificatur* Joh. xxi. 19.

(4) Eapropter ipse Spiritus S. heroicam Martyrum virtutem laudat & in exemplum ponit Hebr. xi. xii.

(5) Maximas promissiones perseverantibus datas esse Capite sequenti videbimus.

(6) Indoles N. T. adhuc magis hoc officium exigit, in quo tot persecutionibus Ecclesiam paulatim purgandam esse, Prophetæ docuerunt. Huc spectat istud Col. 1. 24. Adde Apoc. vi. 10: 11. xii. 17.